



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum  
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

**Laymann, Paul**

**Dilingae, 1698**

Capitulum XIV. Cùm simus.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

sio consistit in traditione sui facta Religioni per votum solenne, habitus autem solet quidem esse signum hujus traditionis, ita tamen, ut res signata non pendeat à signo: sed neque habitus Religiosi susceptio semper est certum signum professionis, si extra Monasterium suscipiatur *cap. 3. hoc tit. in 6.* vel si in Monasterio habitus suscipiatur absque professionis intentione, *cap. consulti 20. hoc tit.* & tradit Gloss. *hic V. non faciat.*

## CAPITULUM XIV.

## Cùm simus.

## PARAPHRASIS.

B, miles se unà cum filio impubere, & omnibus bonis suis Monasterio obtulit, filiumque habitu Monachali indui mandavit, sed filius non post multum temporis Monasterio egressus, bona patris religionem professi postulavit. Hæc causa cum ad Cælestinum III. devoluta esset, responderet, si puer ille, postquam annos discretionis, seu pubertatis attingit, habitum retinere nolit, cogendum non esse, cum ipsi tunc liberum sit habitum dimittere, & bona patris, quæ ipsi ex successione debentur, postulare. Consentit *cap. 1. causa 20. q. 2. cap. cùm virum 12. hoc tit.*

## SUMMARIUM.

*Patre proficiente in Monasterio statim debetur legitima liberis.*

NOTANDUM. Si Pater in Monasterio profiteatur, portio legitima statim debetur liberis, quia censetur spiritualiter mori, idèque locus est successioni, uti hic dicitur. Et ita intellexi *Gloss. final.* & secutus sum *lib. 4. to. 5. c. 3. n. 7.* Interim non prohibetur, vel ante, vel post professionem de bonis suis inter liberos disponere, & dividere, dummodo Monasterio partem virilem, cum *Kinds. Theil* relinquat, uti ha-

betur *in Auth. si qua mulier Cod. de III. Ecclesijs*, quæ refertur *causa 19. q. 3. cap. 29.* Si tamen pater disponere nolit, tunc hæc ipso Monasterio bona sua relinquere censetur, ita tamen, ut portio legitima liberis negari non debeat.

Veruntamen *Abbas hic n. 5.* & alij magis pauci apud *Barbosam n. 2.* arbitrari filii legitimam filij non deberi ante mortem patris naturalem, & ad textum hujus cap. respondere coguntur, patrem tunc mortuum fuisse, cum filius bona ejus petivit, quæ tamen nullo verbo indicatur, sed omnino contrarium, uti ex integra lectione apparet.

## CAPITULUM XV.

## Sicut.

## PARAPHRASIS.

Relatum fuit Innocentio III. quod B. Sacerdos, cum gravi morbo laboraret, & extra se positus de vita desperaret, à Monasterij Monacho fuerit habitu Monachali indutus, & ad Monasterium delatus, paucis verò post diebus, cum revaluisset, cum licentia Abbatis Monasterio recesserit; idèque petiit ut in dicto Sacerdote liceret in sacerdotali Ordine immuni à jugo professionis, consistere. Respondet Papa, licet habitus inter se repugnantia videantur, quod aliquis extra se positus sit, & de vita desperet, si tamen ita est, uti referuntur Sacerdotem, cum habitu induerent, se positum fuisse, idèque non petiisse, quid ageretur, nec consentire potuisse, ipsum à monastico Ordine horum pronuntiandum, præterquam, si postea ad se rediens voluntate spontanea professionem ediderit.

## SUMMARIUM.

- I. Nonnunquam etiam repugnantia proponens juxta æquitatem Canonum auditur.